in Gnaden zu erlassen, und von allen und jeden, die zu dieser Abgabe verpflichtet sind, es seyen Weltliche, Geistliche, Bürger, oder Dorf-Gemeinen, nur die Bezahlung der September-Rate, des ganzen sowohl, als des halben Rauchfangs-Geldes, zu verlangen.

Es wird jedoch zugleich hierdurch erkläret, daß dieser, im Ganzen eine sehr bedeutende Summe betragende Abgaben-Erlaß, als eine Entschädigung, wegen der durch die vorgewesenen Kriegs-Unruhen für die hiesigen Unterthanen entstandenen Lasten, als: Lieferung, Einquartierung, Fuhren rc. anzusehen, und zu betrachten sey, und daß durchaus

kich, ktorzy do tego Podatku obowiązani są, niech bedą Swieccy, Duchowni, lub Gromady albo też Miasta, pożadać.

Przy tym deklaruie się ninieyszym, iż takowe, w Całości bardzo znaczną Sumę wynoszące Ustapienie Podatku, iako Nadgroda, pod czas Zamieszania Krajowego ponoszonych Ucieżliwości, to iest: Furażiu
runkow, i Podwod etc.
być powinno, a iż dal
groda nastapić nie może

richtete Königliche Creis-Steuer-Amt bestimmt, und zugleich festgesetzt, daß mit dem Tage des ersten November mit Einzahlung der Steuern der Anfang gemacht werden soll, und zwar dergestalt, daß vom

bis zum

aus dem Fürstenthum Siewierz, vom bis zum

aus dem Königl. Preuß. Antheile des Lelower Creisses, vom bis zum

aus dem Königl. Preuß. Antheile des Xiasker Creißes, und vom bis zum

aus dem Königlich Preuß. Antheile des Cracauer Creis-

ustanowia się, ażeby z dniem pierwszego Mca Listopada Percepta zaczęła się, tym sposobem, iż od dnia 20 Listopada do dnia 27 Listopada z Xięstwa Siewierskiego, od dnia 27 Listopada

do dnia 4 Grudnia

z Części Pruskiey Powiatu Lelowskiego, od dnia 4 Grudnia

do dnia 11 Grudnia

z Części Pruskiey, Powiatu Xiążkiego, a zaś od dnia 11 Grudnia

do dnia 18 Grudnia.

z Części Pruskiey, Powiatu Krakowskiego, wszystkie i każde Podatki oddane być powinne, bo każdy, który po upłynionym Ter-

I. N. J.

DISPUTATIO POLITICA
De Quæstione:

UTRUM MAGISTRATUS SUMMUS LEGES CIVILES SERVARE TENEATUR?

Quam

JUVANTE DEO T.O.M.

CONSENTIENTE AMPLISSIMA FACULTATE PHILOSOPHICA

IN ACADEMIA PATRIA

Placido Eruditorum Examini

sistit

M. JOHANNES ERNESTUS GRABE,

RESPONDENTE

CHRISTIANO LEPNERO,

Reg. Pruss.

ANNO M. DC. LXXXVI. d. 11. Septembr.

H. L. Q. C.

REGIOMONTI,

Typis FRIDERICI REUSNERI, SEREN. ELECT. BRANDENB. ET ACAD. TYPOG. HÆREDUM.

VIRIS

GENEROSO, NOBILISSIMO ET AMPLISSIMO

DN. LUDOVICO SCHIMMEL-FENNING,

Hæredit. Dn. in Sünnucken, Kasebalcen &c.

DN. PETRO LANGE,

Inclytæ Reipubl. Cneiphofianæ Senatori gravissimo, Judicii Aulici & Supremi Tribunalis Advocato Ord. dignissimo,

Patronis & Promotoribus studiorum maximè colendis.

ÆTernare nominis gloriam plurimorum omni ævo fuit studium; dum alii Heroicis in bello virtutibus magnâ hostium strage, alii divitiis luxuriantes ædificiorum vel urbium etiam curiosâ & splendidâ structurâ, alii aliis admirandis ausibus vel artificiis & summam ingenii magnitudinem probantibus nominis celebritatem posteritati commendare allaborârunt. Nulla tamen æquè laudabilis æternandi nominis via est, quàm si literaturæ quis foveat incrementa: mole suâ vel splendidissima corruunt ædificia, tempore consumuntur curiosa artificia, neque clarè dicta vel facta temporis eximuntur injuriâ, nisi literarum monumenta eadem posteritati tradant. Tanta siquidem literaturæ vis est, ut non solùm præsentem Reipublicæ statum omni felicitate beet, sed & virtute inclarescentium virorum merita æternitatis templo inserat. Inclaruit hoc ævo *Nobilissima Domus Schimmelfenningiana* virtute atque meritis *Summi Nostri Principis atq; Herois* gratiam sibi concilians; ast temporis vix evitaret injuriam, nisi nominis atque virtutis suæ tale statuisset monumentum, quod nulla destructura est ætas, cujusq; memoriam gratâ recolet mente sera posteritas, dum liberalium Artium Alumnis liberali, præ aliis, manu largita stipendia, ne studiis deessent incitamenta atq; media. Hujus splendidioris Munificentiæ pariterq; gloriæ perennantis *Nobilissimæ Domûs Schimmelfenningianæ* cum ex *Tuo Tuorumq;* pio & laudabili instituto *Vir Generose* agas Assertorem; *Tu autem Vir Nobilissime & Amplissime* Redituum Inspectorem, non dubitavi *Vestris* præprimis *Nominibus* has dedicare studiorum primitias, quas, ut serenâ accipiatis fronte, vestroq; faveatis Clienti, eâ quâ par est, animi submissione cum voto omnigenæ prosperitatis contendo

CHRISTIANUS LEPNER.

I. N. J.

§. I.

UT tractatio nostra de quæstione proposita ritè procedat, nec nominum ambiguitas nos decipiat, hæc ante omnia detegenda, & quem S. Magistratum, quasqve Leges hic intelligamus, paucis explicandum erit. *Nam qui sermonem invicem communicaturi sunt, oportet aliquatenus invicem intelligant: hoc enim non facto, quomodo erit eis invicem sermonis communicatio? Oportet igitur nominum unumquodq; notum esse, & aliquid significare, non multa, sed unum; quod si plura significat, manifestare, ad quod eorum nomen fert*, docet *Aristoteles* lib. XIII. (vulgò XI.) Mataph. c. 5. (al. 4.) Quæstio igitur est de illis, penes quos est summa Imperii potestas, & quidem in Republ. recta. Nam in pravis tantum abest, ut Magistratus S. legibus se subjiciat, ut propriam magis libidinem & privatum commodum Legis instar sibi præfixum habeat, in quem quadrat id, quod Consiliarii Cambysis Regi responderunt: *Esse Legem, quâ liceat Regi Persarum facere, quicquid libeat*, de quo videatur Herodotus in Thalia. Quò etiam pertinet illud Juliæ ad Caracallam: *Si libet, licet: an nescis Te Imperatorem esse, & leges dare, non accipere*, uti refert *Spartianus* in Caracalla. Sermo igitur nobis est de bono & legitimo Magistratu, qui non privatum sed publicum intendit bonum, sive is fuerit in Regno, sive in Aristocratia, sive in Politia speciatim sic dicta. Removendi tamen sunt παμβασιλεῖς, qui Heroicâ virtute præditi omnes reliquos cives multis Parasangis antecedunt, adeò, ut *horum omnium neq; virtus, neq; potentia civilis cum illorum virtute & potentia comparari queat, hincq; quasi Dii aliqui inter*

ter homines esse videantur, qui omnia pro lubitu administrent, ut eosdescribit Aristoteles lib. III. Pol. c. 13. *Hos quippe Leges non constringunt, ipsi enim sunt lex: & ridiculus est, qui in eos Leges ferre conetur,* quemadmodum *Aristoteles* l. c. subjungit. Quocum *Plato* consentit lib. IV. de Republ. dicens: *Haudquaquam viris bonis præclarisq; decet præcipere. Etenim plurima qualia & quomodo statuenda sint, facilè ipsi reperient.*

§. II.

Porro quando quæritur, an Magistratus Summus Legibus sit solutus, non intelligendæ sunt Leges Divinæ, aut quæ sunt juris Naturæ, illis enim S. Magistratum subjectum esse, nemo fermè saniorum Politicorum est, qui neget; sed civiles sive positivæ, & quidem præcipuè fundamentales Reipubl. Leges, administrandæ Reipubl. modum atque rationem describentes, semper hactenus servatæ, quibusque violatis non exiguum fortè damnum ac detrimentum Respubl. sit passura. Unde quoque simul patet, non disquiri: an Magistratus S. Leges novas, necessitate & salute Reipubl. exigente, condere, aut antiquas pro ratione temporis augere vel mutare, illarumque rigorem mitigare possit, id quod ambabus manibus largimur. Neque an S. Magistratus iis in rebus, quas Lex non definivit, summam ac absolutam potestatem habeat. Nam cum Leges in universalibus hæreant, nec singula, quæ in dies accidunt, attingant, juxta Lib. V. Eth. cap. 10. & 14. & Lib. III. Pol. cap. 15. omnino Magistratui S. absoluta potestas his in rebus decernendi concedenda est. Lib. III. Pol. cap. 10. in fine. Sed quæstio est; an S. Magistratus bonum publicum pro fine regiminis habens leges civiles, præcipuè modum Imperii describentes, bonas, ac ad salutē Reipubl. plurimum conferentes, à tota Republ. approbatas & hactenus servatas tenere, & ad illarum normam Imperium suum componere teneatur. Hujus quæstionis satis vexatæ Negativa, plurimis inter

ter

ter Politicos pariter & JurisConſultos arridet, neceſſarium Majeſtatis adjunctum atque conſequens ſtatuentibus, hanc Legibus civilibus omnino ſolutam eſſe. Nos affirmativam vero magis conſentaneam eſſe arbitramur, illamque hiſce in pagellis argumentis quibusdam confirmabimus, contrariarum rationum disſolutionem conflictui reſervantes.

§. III.

Finem eſſe principium & normam in Practicis rebus, ad quam omnia reliqua exiguntur, omnes confitentur, & paſſim ab Ariſtotele docetur, nimirum lib. I. Eth. c. 7. lib. VI. cap. 5. lib. VII. cap. 9. alibique. Ad hunc ſi attenderimus, & quis ſcopus boni Magiſtratûs ſit, conſideraverimus, non contemnendum pro ſententia noſtra argumentum inde ſumere licebit. Nimirum is non alius eſt, quàm S. B. H. civibus acquirendum. In id enim omnes nervos intendere debet, ut cives ſuos bonos & ad honeſtas res agendas idoneos reddat, quemadmodum non obſcurè docet Ariſtoteles I. Eth. 10. & 13. & II. Eth. 1. Hunc autem finem ſuum ut conſequatur, media, quæ ſalutem & S. B. civitatis promovent, obſervet, illisque ſe attemperet, neceſſe eſt. Inter quæ non ultimum eſt, ſi omnia, quæcunque poſſunt, in Republ. certis legibus ſint determinata, & per conſequens etiam adminiſtrandæ Reipubl. ratio. Nam licet Respubl. à ſummè prudentibus & virtuoſis, quales ſupra §. 1. ex Ariſtotele deſcripſimus, etiam ſine Legibus gubernari queat, quemadmodùm quoque in primis Regnis nullæ leges conſtitutæ, ſed (verbo Juſtini lib. 1. cap. 1.) *Principum arbitria pro Legibus fuêre*, non tamen aliàs commodè id fieri poteſt, ſed præſtat legem quoque ſimul cum Magiſtratu imperare, uti rationes ab Ariſtotele lib. III. Pol. c. 15. & 16. & lib. I. Rhet. c. 1. allatæ id evincere videntur. Prima quidem eſt, quod Magiſtratus æquè ac alii homines affectibus ducatur, ſæpiſſimè illis ſuccumbat ac

corrumpatur. Etenim cùm rectam rationem in consilium adhibere, & juxta illam Imperium suum instituere debeat, perturbationes sæpe mentem obnubilant, *nec utuntur* λογισμῷ quemadmodum Aristoteles loquitur lib. V. Pol. 10. ut adeò tali opus sit, qui omnium affectuum expers illum corrigat, & in rectam viam reducat. Talem se præbet lex, utpote quæ anima παθητικῇ destituta nullas sentit perturbationes, sed *est recta & à Numine Deorum tracta ratio, imperans honesta, probibens contraria*, prout *Cicero* illam describit oratione XI. Philip. Quod adolescentes illi petulantes apud Livium lib. II. Decad. probè intelligebant, hincque Tarquinio pulso suam licentiam imminutam conquerebantur. *Regem namq;*, inquiunt, *hominem esse, à quo impetres, ubi jus, ubi injuria opus est, esse gratiæ locum, esse beneficio, & irasci, & ignoscere posse, inter amicum & inimicum discrimen nosse: Leges verò rem surdam & inexorabilem esse, salubrioremq; inopi, quàm potenti, nil laxamenti, nec veniæ habere, si modum excesseris*: Concludimus itaque cum Aristotele ex lib. III. Polit. cap. 16. *Qui igitur mentem præesse, atq; imperare jubet, is videtur jubere Deum & leges imperare; qui verò hominem jubet, feram addit. Nam cupiditas & iracundia depravat Magistratus, & optimum quemq; virum. Lex autem mens est appetitione vacans.* Quocum consentit *Plato* in Politico dicens: Ἄνομον Μοναρχίαν εἶναι χαλεπὴν καὶ βαρυτάτην ξυνοικῆσαι. *Regnum sine legibus durum & gravius esse cohabitatibus.* Si autem leges in Republ. esse debent, quæ unà cum Magistratu imperent, eiqve modum Regiminis præscribant, utique patet, tunc juxta illarum tenorem Regimen suum administrare debere; nec earum observatione solutum esse, cùm alioquin frustra latæ essent, quod tamen absurdum est. Nam quemadmodum Natura nil frustra facit, sed omnia sua opera ad certum finem dirigit. 1. Pol. 2. 1. de Cœlo 4. ita & prudentiæ in omnibus

mnibus ejus operationibus determinatus ſcopus præfixus eſt, quippe cùm ſit habitus cum recta ratione (i.e. conſultatione & deliberatione, τὸ γδ βȣλόεσϑαι καὶ λογίζεσϑαι ταυτὸν, lib. VI. Eth. 2.) activus, omnis autem deliberatio ad proprium aliquem finem referatur, docente iterum Ariſtotele VI. Eth. 10. Accedit, quod *leges ex longi temporis conſiderationibus fiant*, uti Ariſtoteles cit. lib. 1. Rh. 1. ait: i. e. à prudentibus per plurimas multo labore atque diuturno tempore collectas obſervationes ferantur, adeoque accuratiores, & ſaluti Reipubl. magis accommodatæ exiſtant, quàm ſententia & arbitrium unius vel paucorum hominum. Cum igitur neceſſe ſit, in Republ. non ſolùm Magiſtratum, ſed & leges ſcriptas eſſe, utique ſecundùm eas ille Regimen ſuum inſtituere tenetur, niſi contemptor ſalutis publicæ videri, Legesque frustra latas eſſe velit.

§. IV.

Prætereà ut Magiſtratus civitatem S. B. participem reddat, opera ipſi danda eſt, ut cives legibus, quæ ipſis præſcribuntur, obtemperent, vitamque illis conformem agant, cum iisdem ad perfectæ virtutis exercitium compellantur. *Huc enim ſe parat, atq; hoc ſtudet, ut cives ſuos viros bonos & legibus obedientes efficiat. Quarum rerum exempla nobis ſuppeditant Cretenſium & Lacedæmoniorum Legumlatores, & ſi qui alii exſtiterunt*, inquit *Ariſtoteles* lib. 1. Eth. 13. At quomodo Magiſtratus cives eò impellere poterit, ut legibus conformiter ſe gerant, cùm ipſe negligat eaſdem? Ad Princip is enim exemplum ſubditi quàm maximè reſpiciunt, & quod ille agit, & ipſi agendum eſſe exiſtimant, quemadmodum *Claudianus* Poëta de 4. Conſul. Honor. canit:

— — — Componitur Orbis
Regis ad exemplum; Nec ſic inflectere ſenſus
Humanos edicta valent, quàm vita Regentis:
Mobile mutatur ſemper cum Principe vulgus.

Con-

Conferatur Aristoteles II. Pol. 11. Unde Alphonsus Rex Arragoniæ & Neapoleos cùm de subditorum moribus disputaretur, dixit: *Ut herbas quasdam ad Solis motum, sic populares in Principum mores verti,* teste *Lipsio* lib. II. Monit. & Exempl. Pol. c. 8. Quæ res ex historia abunde confirmari posset, si id instituti ratio posceret. *Nam licet videre, si velis replicare memoriam temporum, qualescunq; summi civitatis viri fuerunt, talem civitatem fuisse,* dicente *Cicerone* lib. III. de Leg. Unicum solùm modò exemplum nunc adferre lubet. Scilicet Romæ ad Vespasiani tempora luxus in conviviis, veste & supellectile nimis invaluerat, nec vel legibus aut pœnis coerceri poterat: Ast simulac Titus Imperium capesseret, sponte exolevit. Cujus rei causam assignat Tacitus lib. III. Annal. *Præcipuus,* inquit, *astricti moris autor Vespasianus fuit, antiquo ipse cultu victuq;. Obsequium inde in Principem & æmulandi amor, validior, quàm pœna ex legibus & metus.* H. I. Si igitur S. Magistratus vult cives Legibus se obedientes præbere, & se ipsum talem præstet oportet.

§. V.

Hoc quoque cogitantes optimi inter Legislatores, propterea nil unquam lege sanxerunt, cujus documenta non prius in se dederint, optimè gnari, id multum ad permovendos civium animos valere. Imò fuêre permulti, qui ob transgressionem violatarum legum pœnas de se ipsis aut propinquis sumpserunt. Ut nihil jam dicamus de Zaleuco, Philippo Macedone, & aliis, Charondas Thuriorum Princeps & Legislator legem tulerat contra civiles factiones & cædes: *Ne quis cum telo in concionem veniat, nisi mortis reus esse velit.* Accidit autem, ut ipse rure veniens, indictâ subitò concione armatus ad illam accederet; cùmq; illi ab æmulis objiceretur, solvisse eum Legem, quam tulerat, justo severior se ipsum ferro interemit, referente *Val. Maximo* lib. VI. c. 5. Ex hac ratione evinci

detrudentur statum, quô leges accipere deberent non autem dare; at verò hìc locum obtineat istud Caroli V. ad Pontificem, teste Joviô in vitâ Leonis: *non esse ex dignitate Augusti longè maximi Principis leges accipere minisque terreri. &c.*

§. VI. Verùm ut magis pateat, quantoperè abutantur hôc nostrô axiomate, singula ejus verba excutiamus. Occurrit verò statim vox populi; populi salus suprema lex &c. B. Augustinus lib. 19. præclarissimi operis de Civitate Dei c. 21. probaturus nunquam fuisse Rempublicam Romanam adducit definitionem populi, quâ usus fuerit Scipio apud Ciceronem in libris de Republicâ, ita scribens p. m. 1178. *populum esse definivit* (Scipio) *cœtum multitudinis juris consensu & utilitatis communione sociatum*; quam definitionem adduxerat idem S. Doctor jam lib. 2. cap. 21. ejusdem Oper. p. m. 132. Totus verò populus Romanus in tres ordines dividebatur, in senatum, equites, plebejos; quâ de re Livius lib. 26. *consensum senatus equestris ordo secutus est, equestris ordinis plebs.* Quapropter & Ausonius canit: *Martia Roma triplex equitatu, plebe, senatu.* Senatores, ut cum Lipsiô ex lib. 4. de Republicâ Romanâ cap. 2. Tom. 2. Oper. p. m. 634. loquamur; *à Romulô centum facti & Patres iidemque Senatores vel à curâ vel ab ætate dicti* (Vauchop. de veteri popul. Roman. tract. p. 396. non tantùm â *curâ* & *honore* ita appellari potuisse indicat, sed vel à *patrociniô & ope ferendâ, vel quòd Patres suos demonstrare* possent nobili quisq; ortus genere, vel *à comite quôdam Evandrô*, qui patroni nomen meruerat, quod imbecillorum curam gessisset, eisque præsidio fuisset) *postea ad trecentos crevére & in liberâ Republicâ sic mansére usq; ad Livium Drusum — is numerum auxit & ad sexcentos fecit. Mansisse ita ad Cæsarem opinor.* H. J. Hæc populi Romani pars quantô fuerit in honore & veneratione loquuntur elogia à Lipsiô ibidem adducta, à Cicerone Senatus *Princeps salutis*, à Cassio-

dorô

dorô *gloriosus Senatus morumq; lumina*, à Petroniô *recti boniq; Praeceptor*, à Tacitô *caput imperii* dictus fuit. Alter ordo est equitum; inter quos de genere multi erant è Senatoribus orti, Senatorum enim filii nondum in Senatum lecti equites sive ex equestri ordine fuêre; dicti equites, quod dùm in ordinem hunc adoptarentur, quem Varro de Legibus vocat *mille assarium*, iis publicus equus & annulus aureus à Censoribus datus sit. Ex quô tempore etiam in album referebantur, cujus meminit Svetonius in Domitia: cap. 8. Hic ordo inter Senatum & plebem medius fuit & ad judicia etiam admissus est teste Pliniô lib. 3. Nat. hist. c. 2. Restat tertius ordo, ex quô fuêre omnes illi, qui neque Senatores neque equites erant, referebanturque in hanc classem patritii, qui in Senatum nondum lecti essent neque eqnestrem censum haberent, tùm equites, qui patrimonium consumpsissent, vel quibus propter flagitia equi publici & annuli aurei adempti essent. Plebeji hi, ut Lipsius lib, cit. p. 635. refert, fuêre in triplici discrimine, *ingenui, Libertini, liberti*. Apud antiquos scriptores voce hâc *populi* interdum omnes ordines simul, interdum duo posteriores, interdùm verò ultimus significatur. Initiô certum est, quòd sola plebs sive ultimus ordo interdùm populus vocetur. Ælius Spart. sine dubiô in hâc significatione vocem istam accepît, dùm in vitâ Ælii Veri c. 3. p. 112. scribit, *datum populo congiarium;* nec aliter accepit Adrianus c. 6. p. 121. in ejusdem Ælii Veri vitâ, hujus verba hæc sunt: *ter millies perdidimus, quod exercitui populoq; dependimus siquidem scitis in caducum parietem incubuimus, & qui non ipsam Rempublicam sed nos ipsos sustentare vix possit.* De Didio Julianô idem Ælius Spartianus cap. 4. sub fin. p. 325. *Multa*, inquit, *quæ Commodus statuerat, pertinax tulerat, ad conciliandum favorem populi restituit.* Ad quæ verba ita Casaubonus commentatur: *cave accipere vocem populi in propriâ notione, hoc est, pro universô populô Romanô,*

lep-

plebem enim hìc & è populô vilißimum quemq; ac perditisßimum significat. Nec in aliâ, ut opinamur, significatione, usus est hâc voce *populi* Claudianus de sexto Consulatu v. 611. & seqq. p. m. 657. *O quantum populo secreti Numinis addit imperii præsens species* (Genius legendum monuerat Gronovius ad Statium, sicuti Nicolaus Heinsius annotat,) *quantacunq; rependit Majestas alterna vicem, cùm Regia Circi convexum gradibus veneratur purpura vulgus.* Evidentissimè verò in hâc significatione hæc vox à Martiali adhibetur lib. 8. Epigr. 25. *dat populus, dat gratus eques, dat thura senatus;* in quô versu ex oppositione manifestissimè intelligitur, per populum non nisi plebem denotari posse. Nec fortè dubium est, quin ita capiant eandem vocem Poëtæ, cùm ab illis populus modò *æger & contumax*, ut à Senecâ Tragicô, modò *levis* ut ab Horatiô, modò aliis epithetis infamatur. Unicum adhuc Horatii versum addimus ex lib. 2. serm. satyr. primâ non procul à fine, ubi de Luciliô, qui Satyricô sale defricare alios non dubitavit p. 178. *Primores populi arripuit populumque tributim;* nam judice etiam Johanne à Bond *plebs infima & populus tunicatus* intelligitur. In fragmentis Petronii *minutus populus* cum additô dicitur. Confirmat nos etiam à voce populi deducta alia hæc scil. vox *popularitas*, quæ idem est quod plebis sive ut Caspar Barthius ad Statii sylv. lib. 2. sylv. 7. p. m. 258. in fine habet, *amor populi mutuus*. De quâ voce videsis Thomam Demsterum lib. 1. Antiquit. Collect. c. 16. Et verbo Ciceronis Orat. pro Sextiô: *qui ea, quæ faciebant, quæque dicebant, multitudini jucunda esse volebant, populares habebantur.* Statius lib. 2. syl. 7. v. 69. p. 112. edit. opt: Pompejum vocat *gratum popularitate magnum*, cujus appellationis rationem Morellus indagat ex Plutarchô. Apud Græcos eôdem modô δῆμος accipitur, unde etiam Hesychius in Lexicô p. m. 244. interpretatur λεῶς εἰ ὄχλον. Sopingius λαός scribendum monet, quod probatur

 Junio,

Junio, Stephano. Deinde 2. populus duos inferiores ordines simul comprehendit, id est, equites & plebem, quam significationem, ut illustrare satagamus, necesse non est, cùm formulæ florentibus rebus Romanis usitatæ spontè hanc ingerant acceptionem. Ecquid enim denotabatur aliud, cum hoc vel illud Senatui populoque Romano visum esse dicebatur, quàm istud ratum haberi non tantùm à Senatu sed equitibus etiam & plebe comprehensis sub hâc voce populi. Tandem nec infrequens est, ut omnes ordines etiam Senatorius, denominatione populi includantur. In hâc significatione extra controversiam usus est voce hâc *populus* Capito in definitione plebiscit, istud enim vult esse *legem, quam plebs non populus accipit* apud A. Gellium lib. X. Noct. Attic. c. 20. p. 276. *plebem autem Capito in eâdem definitione seorsim à populô divisit: quoniam in populo omnis pars civitatis omnesque ejus ordines contineantur, plebs verò ea dicitur, in quâ gentes civium patriciæ non insunt*, ut habent verba modò laudati A. Gellii l. c. Et in hâc itidem acceptione Romanus populus Princeps terrarum dicitur à Pliniô lib. 22. c. 3. Ut illa loca præteream, in quibus dignitas & majestas populo adscribitur, quæ sanè non aliter quàm de omnibus ordinibus explicari posse nemo non videt. Jam in quânam significatione vox *populi* in nostrô axiomate accipitur? Utique in postremâ. Initio istud svadet ipsa populi vox, quæ collectiva est, hujus generis autem vocum ea natura est, ut absolutè positæ sine illô additô denotent multitudinem omnium, quæ ambitu ullo continentur, quæque partes sunt totius nomine collectivô significati, ut inductione talium nominum gentis, inquam, exercitus, examinis &c. patet. Et (2) cùm in omni Republicâ diversum semper sit plebis & optimatium ingenium diversaque studia: ut non malè hâc in re Nicolaus Machiavell. lib. 1. Disp. de Republ. p. m. 20. sentit; imprudenter sanè egissent Patres, si non considerantes plebis

in-

ingenium varium illud & mutabile, in ipsis etiam legibus exclusâ propriâ salute tantùm plebejæ salutis curam sibi demandassent? Annon eô ipsô sese ludibrio vulgi ejusque effreni libidini subjecissent? Quis sibi persvadeat, quod Brutus ejusq; complices cum summô vitæ discrimine Tarquinium ejecerint, ut ipsi, licet nobilitate generis illustres, cuivis è fece parerent vulgi? Conf. celeberrimus Puffendorffius in introduct. hist. part. 1. p. 40. 41. Propriam igitur salutem non existimandi sunt neglexisse in hâc lege Patres. Si verò hoc, eorum salus sub populi salute continebitur & per consequens vox hæc *populus* omnes ordines complectetur. Tandem (3) ex ipsis illis legibus patet, voce populi omnes in universum ordines contineri, ut pote quæ, cùm ultimus ordo exprimendus est, non populi sed plebis voce utuntur: nam ita apud Ciceronem lib. 3. de Legibus p. 453. *plebs, quos pro se contra vim auxilii ergo decem creassit, tribuni ejus sunto: quodque ij prohibessint, quodque plebem rogassint, ratum esto: sanctique sunto: neve plebem orbum tribunis relinqunto.*

§. VII. Omnium igitur ordinum in totô populô salus suprema lex esse debet. Quid per *salutem* intelligatur, promptè assequemur, quando ad oppositum reflectemus animum. Stabimus verò hâc vice judiciô Ciceronis & aliorum latinæ lingvæ scriptorum. Ex eorum sententia saluti opponitur excidium, pernicies. Maximè hùc pertinent verba Ciceronis, quæ scriptores fori Romani Tom. 3. p. 575. allegant. *salus contrarium habet excidium*, nec non ista: *ad perniciem vocari & ad salutem sunt contraria.* Passim verò permutat & conjungit verba hæc Cicero *labes, pernicies, pestis.* Ex mente igitur Ciceronis saluti populi opponuntur pernicies, excidium, pestis, labes populi. Apud cœteros auctores eôdem modô saluti opponitur pernicies & omnimoda destructio atque corruptio, ut facile ex contextu elucescit. Virgilius lib. 3. Georg. v. 510. & seq.

Ea visa salus morientibus una, mox erat hoc ipsum exitio, nempè ut Servius supplet, *quod saluti esse putabatur*. Sicuti etiam aliàs ea, quæ saluti sunt, crebrò exitium ferunt, de quibus fusè disputat Pricæus ad Apulejum p. 479. Et verba illa Virgilii ex lib. 1. Æneid. v. 555. *sin absumpta salus*, Servius explicat, *si periit Æneas*, quæ explicatio optima est ut patet ex sequentibus, *nec spes jam restat Juli*. Hanc loquendi rationem à Virgiliô mutuatus Ammianus, qui & ipse lib. 31. *spem omnem* dixit *absumptam*. Nec pigrabimur addere verba Virgilii ex lib. 2. Æneid. v. 352. & seqq. *Dî, quibus imperium hoc steterat, succurritis urbi incensæ, moriamur, & in media arma ruamus Una salus victis nullam sperare salutem.* Non vacat cœtera ejusdem Poëtæ ut ex lib. 9. Æneid. v. 255. lib. XI. v. 362. & lib. 12. v. 653. adscribere, in quibus omnibus est manifestum, per salutem ab eô intelligi talem incolumitatem, cui vel mors vel ruina adversatur. Nec alius sensus subesse potest, cùm autores ajunt vota esse suscepta pro Regis vel Principum ægrotorum salute, qualia quidem frequentia satis fuêre apud veteres. Ita apud Curtium lib. 3. cap. 7. n. 3. legas: *vota deinde pro salute suscepta*. Apud Plinium: *ludis pro salute D. Augusti votivis*: apud Svetonium in Cajo c. 14. n. 4. *ut verò in adversam valetudinem incidit, per noctantibus cunctis, circa palatium non defuerunt, qui depugnaturos se armis pro salute ægri, quique capita sua titulô propositô voverent.* Conf. & cap. 27. n. 3. Accuratius adhuc res ista cognoscetur, si non evolvere B. L. gravabitur Capitolinum in M. Antoninô c. 8. Propert. 2. 9. 25. Ovid. Amor. 2. 13. Tibull. 1. 5. Vellejum. 2. 48. 3. Juven. Satyr. 10. 283. Plutarch. in Pomp. Dion. lib. 41. p. 173. Quod verò hi auctores appellant salutem, Cic. Philip. X. & Phil. 7. *vitam* vocat. Tacitus autem *incolumitatem*: *adversâ*, inquit, *valetudine Germanici detentus, ubi recreatum accepit, votaque pro incolumitate solvebantur.* Si verò salus idem est quod incolumitas & vita, cum quibus

pu-

pugnant pernicies & exitium, extra controversiam est, benè docuisse Ciceronem, quòd Saluti opponantur pernicies & exitium. Cognituri igitur quænam sit salus populi, videamus, quodnam sit populi exitium & pernicies, sive consideremus, quomodo desinat populus esse. Nam exitium populi & pernities sine dubiô interitus populi est, quemadmodum pernicies ex. gr. Petri mors Petri existit. Ut verò constet, quomodo populus aliquis intereat, expendamus, quâ ratione corpus aliquod tollatur, nam non invenustè populum cum corpore à multis comparari videas, præprimis propter varias corporis partes, quarum unaquæq; operatione propriâ pro obtinendô eô quod omnibus & singulis conducit, gaudet, quibus (corporis partibus) singuli ex populô ἀναλογικῶς respondent. Corpus autem tollitur, si Grotium audiamus lib. 2. de Jure belli & pacis c. 9. §. 4. *sublatis simul partibus sine quibus corpus subsistere nequit vel sublatâ corporis ratione;* nos juxta Aristotelicam Philosophiam corpus tolli diceremus *sublatâ vel materiâ vel formâ corporis.* Partes enim materiæ, compositio autem formæ rationem habet lib. 2. Phys. c. 3. §. 10. al. t. 31. Conf. Simplic. in Comment. fol. 78. edit. Par. Themist. in par. p. 157. Ed. Basil. Vicomercatum p. 67. aliosque. Jam similiter populus tollitur sublatis omnibus partibus populi & sublatâ populi compositione, quodque Servius, citante Grotiô, de exercitu idem nos de populô affirmare tutò poterimus. Scilicet duobus generibus eum tolli aut *internecione* aut *dispersione.* Eleganter & cum maximô, ut semper Grotius solet, judiciô ac eruditionis apparatu, modum utrumque declarat, nos verba viri ex l. c. §. 4. & 5. damus quæ hæc sunt: *Ad priorem modum refer populos mari abreptos, ut Atlantica populos, teste Platone & alios quorum Tertullianus meminit, item eos, quos terræ motus bausis penitùs aut chasma; quorum exempla sunt apud Senecam & Ammianum Marcellinum & alibi, & qui spontè*

inter-

internecioni se dederunt, *ut Sidonii & Saguntini. Ex antiquô latiô 53. populos sine vestigiis interiisse ait Plinius.* §. 5. *Corporis*, inquit, *ratio tollitur si cives aut spontè ob pestilentiam aut seditionem à societate discedant, aut vi ita distrahantur, ut coire non possint, quod bellis accidit interdùm.* H. J. Quô posteriori in casu etsi omnes & singuli salvi ac incolumes permanerent, populus neutiquam salvus & incolumis esset, nam singuli homines non essent partes, *partes* enim *sunt, ex quibus totum constituitur & componitur* lib. 5. Met. c. 25. ex illis verò non constituitur totus populus. Accedit, quòd non debitè munus suum & opus præstare possint; at verò partes quæ munere suô fungi nequeunt, æquivocè tantùm sunt partes 4. Meteorol. c. 12. Conf. & 1. Polit. c. 2. Perinde igitur hâc ratione populus tollitur, ut *greges*, *armenta*, *chori*, *exercitus*, *dispersione & dissolutione intereunt*, ut etiam animadvertit Philo Judæus in lib. de mundô. Quodsi jam, ut ex disputatis manifestum, pernicies & excidium populi est vel singulorum hominum, ex quibus populus constat, interitus vel saltem dissipatio, & perniciei ac excidio populi opponitur salus, utiq; Salus populi erit conservatio illorum, qui constituunt populum, & major ac arctior conjunctio & animorum unio ac coadunatio. Johannes Sarisberiensis, qui floruit & scripsit circa annum Christi 1140. teste Wolff. tom. 1. cent. 12. p. 353. & Cat. test. Verit. lib. 14. p. 1434. in Policraticô lib. 3. c. 1. p. m. 150. salutem publicam eam esse ait, quæ *universos fovet & singulos*, & unô verbô *incolumitatem vitæ* appellat. Hâc etiam de causâ olim constitutas fuisse Respublicas dubitare nos non patitur Aristoteles, nam is investigaturus, quotuplex sit Respublica, duas ponit hypotheses 3. Pol. 6. quarum prima tres civitatis fines continet, inter quos secundus est conservatio vitæ, etiamsi ea aspera ac calamitosa, nisi prorsùs modum superarent adversitates: *conveniunt verò*, inquit, *& ob ipsum ut vivant, fortasse enim inest pars aliqua*

bone-

honesti & boni — continentque vel vivendi causâ tantùm civilem societatem, nisi gravibus & asperis rebus in vitâ valdè superet modum. Et sanè experientiâ omnium temporum comfirmatur, multos vivendi causâ tantùm in Republicâ permanere, unde vero quàm simillimum est, vitæ etiam causâ multos civilem societatem iniisse. Quæ enim causa est ut perseverent, ea etiam causa fuit, ob quam inierint illam societatem. Nec immeritò itidem salus populi in arctâ animorum conglutinatione ponitur; talis enim conjunctio sive concordia & amicitia maximè conservat civitatem sive multitudinem civium ac populum. Notanter Aristoteles lib. 8. Ethic. c. 1. *videtur*, inquit, *etiam amicitia civitates contineri majorisq; quàm justitia Legumlatoribus curæ esse*, quia ut rectè Balfoureus in comment. p. 440. observat: *concordiæ causâ amicitia quæritur.* Non possum non conjunctionis hujus bona, in quibus ipsa salus populi ponitur, enarrare aureis verbis Dionis Chrysost. in orat. de Concordiâ quæ est 39. p. 484. *quot sunt cives in consentiente civitate, tot oculi illius vident commodum, tot aures audiunt, tot lingvæ admonent, tot cogitationes cogitant — Nihil neque pecuniarum neque hominum multitudo, neque alia potentia utilitatem afferre dissidentibus potest, sed in contrarium hæc omnia magisque ad detrimentum sunt; & quò plura adfuerint ad tantò majus & difficilius.* In antecedentibus hæc habet, digna sanè, quæ itidem hìc legantur, ex illis enim quantum habeat momentum ad salutem concordia & civium conjunctio discas; *quæ civitas meliùs consultat quàm quæ simul consultat? quæ faciliùs agit, quàm quæ simul agit? quæ minùs frustratur, quàm quæ eadem consulit? quibus jucundiora sunt bona quàm concordibus? quibus tristia sunt leviora quàm communiter ferentibus? quibus rariùs accidunt dura quàm se mutuò servantibus?* Demosthenes Orat. 1. contra Aristogiton. sub fin. p. m. 502.

concordiam omnium bonorum Reipublicæ causam esse rotundè fatetur.

§. VIII. Quodsi populus ipse rerum summæ præsit, ut in Republicâ Romanâ contigit, in quâ nostrum axioma obtinuit, num saluti ejus jam satis prospectum, si ipse populus non dissipetur, & mutua inter cives concordia non tollatur, non immeritò quæritur? Nos hôc in casu ad ea, quæ ordinem parendi & imperandi conservant, respiciendum esse arbitramur, rati tum demum saluti Imperantis populi consultum esse, cùm ordo semel statutus conservatur. Rem ita sese habere evidens est inductione reliquarum societatum etiam simplicium. Ad salutem enim ex. gr. societatis conjugalis non sufficit, si maritus & conjux toro non separentur & mutuum amoris vinculum non dissolvatur, sed præterea necessarium est, ut ordo vigeat, qui requirit, ut mas imperet & imperata exequatur tori socia. Nam etiamsi non ignoremus, quod Arist. 8. Eth. c. 10. doceat, viri & uxoris societatem ad optimatum imperium proximè accedere, & cap. seq. cit. l. tradat, viri & uxoris amicitiam eandem esse atque eam, quæ est in Aristocratiâ, ex quibus aliquis concludere posset, uxoris non esse, præcepta à maritô accipere; hæc tamen intelligenda esse de imperiô respectu domûs administrandæ evidens est. Aliàs quia in omni societate necesse est, ut alius imperet, alius pareat, & in societate conjugali simplici præter maritum & uxorem nemo superest, imperium aliquod obtinebit marito sane non uxori conveniens; mas enim judice Aristotele lib. 1. Polit. c. 8. naturâ magis aptus ad regendum quàm fœmina *ob præstantiam sexus*, ut addit Becmann. in Consp. doct. Pol. c. 8. p. 42. hoc est, ut ipse cap. præced. p. 31. explicarat, *majorem ad negotia humana aptitudinem*. Grotius lib. 2. de Jure B. & P. c. 5. §. 8. n. 1. p. 149, *maritus*, inquit, *uxoris caput nempè in rebus*

con-

conjugii & in rebus familiæ, nam uxor pars fit familiæ maritalis. Plutarchus in Conjugal. præc. p. 145. *maritum uxoris Patrem* vocat. Quod si hic ordo non observetur, id est nisi maritus imperet, uxor pareat, societas salva esse non poterit, habet enim se se præter naturam, continuò etiam rixæ fervebunt, nam ut benè Chrysost. in hom. ad I. Cor. XI. *meritò viro fæmina subjicitur, nam æqualitas bonorum pugnam parit.* Similiter in societate Paternâ comparatum, quod si enim vel maximè & locô & animô sint conjuncti Parentes & liberi, societas perstare salva nequit, nisi imperium Parentibus inconcussum perstet; ordo enim naturalis requirit, ut Pater *Regis instar* imperet 8. Eth. c.10. 1. Polit. c. 8.10. Ethic. c. ult. 3. Polit. c. XI. propter maxima nimirum beneficia, summam amicitiam & prudentiam. Et hic ingeminare licet verba Dionis Cassii: *cogitate enim quis futurus sit ordo in familiâ, si à junioribus senes spernantur.* Similiter in aliis societatibus & ipsis civitatibus ac Rebuspublicis & in specie in Politiâ ac Democratiâ comparatum est, ut nisi ordo conservetur, Respublica prorsùs salva & incolumis esse non possit. Quâ in re omnes societates cum ipsô mundô conveniunt, cujus incolumitas in ordine juxta Peripateticos consistit, nam in eô formam ejus ponunt. Benè Jacobus Mazonius de triplici hominum vitâ p. 269 *quod ad formam mundi attinet, Peripatetici nullam aliam agnovisse videntur quàm ordinem partium inter se.* H. J. Quæ sanè partes ut ab unô oriuntur principiô, ita ad unum finem reducuntur, hôc modô, ut idem sit & principium & finis. Quis nam autem ordo in Republicâ Romanâ fuerit eô præsertim tempore, & paulo post, cùm axioma nostrum civitate donaretur jam suprà vidimus. Magnæ erant partes & Consulibus & Senatui & plebi. Hôc locô quænam in manibus Senatus & plebis fuerint ex Polyb. lib. 6. tradimus. De Senatu p. 641. ita scribit: *ad senatum quod attinet, ante*

omnia in poteſtate illius eſt ærarium. Nam & redituum omnium item eorum quæ expenduntur, penes hunc eſt arbitrium — *Similiter & delicta in Italiâ admiſſa, quæ animadverſione publicâ opus habent, puta proditio, conjuratio, veneficium aut cædes dolô malô patratæ ad cognitionem Senatus ſpectant. Hôc ampliùs ſi quis privatus aut ſi qua urbs in Italiâ aliquid controverſiæ dirimendum habuerit, aut objurgatione dignum commiſerit facinus, aut ope vel præſidiô indiguerit, omnia hæc Senatui curæ ſint. Sed & extra Italiam, ſi aliquò mittenda fuerit legatio, vel conciliandæ pacis inter diſſidentes gratiâ vel hortandi causâ aut etiam ſi ita res ferat ad imperandum ſuſcipiendumve aliquid aut ad bellum indicendum, Senatûs hæc cura eſt. Poſtremò ubi Romam legationes externæ advenerunt, quomodo cum unaquaq; illarum ſit agendum, quomodo reſpondendum, omnia hæc per Patres adminiſtrantur.* H. J. Verùm nec pigeat audire prudentiſſimum hiſtoricum exponentem munera populi in adminiſtrandâ Republicâ. Iſta perſequitur prælaudatus vir. l. c. p. 643. Τιμῆς γὰρ ἐστὶ καὶ τιμωρίας ἐν τῇ πολιτείᾳ μόνος ὁ δῆμος κύριος, hoc eſt, *ſolus in civitate* (Romanâ,) *populus præmii & pœnæ eſt arbiter:* quibus, ut prudentiſſimè addit, *Solis & Principatûs & Reſpublicæ & univerſa hominum vita continetur* — *Honores præterea populus largitur, ut quisque illis fuerit dignus, quod pulcherrimum eſt in Republicâ virtutis probitatisque præmium. Legum quoque ſanciendarum abdicandarumve jus penes populum eſt, & quod longè maximum de pace & bellô hìc deliberat ac ſive de ſocietate agatur ſive de terminandô bellô ſive de pactis, populus eſt, qui ſingula hæc firmat & vel rata facit vel irrita.* Jam in hôc ordine Salus populi Romani verſabatur. Cui rei ſigno eſt, quod, quotiescunque hic ordo mutatus eſt, populi Romani Salus titubârit & vacillârit. Evidens hujus rei documentum præbet Decemviratus, qui, deſcribente Johanne Minelliô ad Florum, *erat ſummus ſed extraordinarius & annuô*

spatiô definitus in Romanâ Republicâ Magistratus, quô Senatorii ordinis nobilissimi viri decem legum scribendarum causâ donati cæteris omnibus Magistratibus interea abrogatis, donec deinde ex legibus restituerentur. Consularem & verè Regiam adeoque maximam omnem Rempublicam administrandi, deque privatorum contractibus ac caussis omnibus cognoscendi habebant potestatem. H. J. Nam decemviri libidine dominandi totam Reipublicæ libertatem tollebant, & ante cœteras, ut cum Floro ex lib. I. c. 24. sect. 2. loquamur, *eò insolentia elatus aliquis est, ut ingenuam virginem stupro destinaret.* Concussisse etiam Rempublicam videtur, dùm ordinem descriptum turbare nitebatur lex Canuleja de promiscuô Patrum & plebis connubiô, quæ lata à C. Canulejo Trib. plebis anno. U. C. 390. nec non lex à collegis Canuleji lata de Consulatu cum plebe communicandô; nam hæ leges eò spectare videbantur, ut ordine eversô Respublica mixta tandem degeneraret in simplicem Democratiam *& ea propter postrema lex cùm annô 309. esset publicata, ingentes in Republicâ Romanâ excitavit turbas usque ad annum U. C. 390. quô L. Sextius lateranus primus Consul ex plebe creatus est*, ut loquitur Petrus Lambetius in Prodr. lit. appen. Non desunt, qui reprehendunt populum Romanum ob introductam creandi dictatoris rationem, existimantes, ex eâ successu temporis ortam esse tyrannidem, & primum eorum, qui urbis imperium sibi vindicavit sub Dictatoris nomine imperâsse, nec potuisse C. Cæsarem, si dictatoris nomen non extitisset, ullô honestô titulô tyrannidem occultare; quorum reprehensio si vera est, nostra sententia, quæ tenet in descripti ordinis conservatione citra immutationem populi Romani salutem fuisse sitam, roborabitur.

§. IX. Hactenùs descripta populi Romani salus vi axiomatis nostri suprema debebat esse lex Consulibus. Omnis lex duplicem habet vim scilicet dirigendi & obligandi. Vim

dirigendi habet, quatenus notificat subdito voluntatem superioris & ostendit quid superior ab eô fieri velit. Necesse enim est, ut in publicam notitiam perveniat voluntas Imperantis, quâ de causâ olim etiam leges columnis affigi vel incidi solebant, sicuti ex Dionysiô Halicarnasseô Antiquit. Rom. lib. 10, Plautô, Macrobiô probat vir doctissimus Thomas Gattakerus in Cinnô lib. 2. p. 405. Deinde lex gaudet etiam vi *obligandi*, quatenùs imperat *ut voluntati superiorum à subditô mos geratur & ipsum ad jussa expedienda adigit* lib. 10. Eth. c. 10. Quò respicit Pittacus, qui Cræso percontanti τίς ἀρχὴ μεγίστη, respondit, ἡ τοῦ ποικίλου ξύλου leges designans, quæ codicibus insculpebantur. Priori modô considerata lex ut ratione legislatoris est opus *intellectûs*, posteriori verò opus *voluntatis*, apud Cl. Hornejum lib. 4. Civ. doct. c. 3. ita ratione parentis istô modô quidem regula deliberationum, hâc autem ratione mensura omnium actionum est. Salus igitur populi regula in deliberationibus, quæ de Republicâ suscipiuntur, & mensura in actionibus omnibus esse debebat ipsis Consulibus, ad quem canonem semper irretortô oculô esset respiciendum, quotiescunq; sese ut agendum aliquid vel phantasiæ objiceret, vel à sensu释 externô repræsentaretur. Juxta hanc regulam omnia examinanda & dijudicanda rationi erant. Et cùm inter regulas reperiatur quædam subordinatio, non secùs ut in causis, alia enim prior aliâ est, & ipse finis suprema & prima causa lib. 1. de part. animal. c. 1. & lib. 2. de generat. anim. c. 6. unde etiam à Thomâ parte 1. quæst. 5. art. 2. ad 1. *causa causarum* vocatur; salutem populi non tantùm normam & legem, sed etiam supremam vult esse nostrum axioma, quô ipsô indicatur salutem populi primariò & per se propriâ suâ virtute esse regulam, quæ aliâ non mensuretur, sed alias omnes mensuret, ita ut tùm demum cœteræ leges sint admittendæ, cùm huic supremæ sunt conformes, reliquæ verò omnes etiam re ipsâ latæ, nisi quadrent ad hunc canonem,

repro-

reprobandæ & conculcandæ. Illud verò præprimis notatu dignissimum est, quòd cura publicæ salutis demandetur Consulibus. Nam ita nostrum axioma: Salus populi suprema lex esto ollis id est Consulibus, de quibus in antecedentibus sermo est. Consulum quodnam in Republicâ fuerit munus quæque eorum dignitas, nemo rectius edocuerit quàm Polybius nunquàm sine laude nobis nominandus. Is igitur memoratô lib. 6. p. 648. *Consules, quamdiu in urbe sunt — omnia quæ publicè fiunt in potestate habent* πασῶν εἰσὶ κύριοι τῶν δημοσίων πράξεων, *omnes reliqui Magistratus præter tribunos Consulibus obnoxii sunt iisque parent, estque in eorum manibus senatus consulta conficiendi totum negotium.* Et ne nimis prolixi simus in citandô testimoniô Polybianô verba hæc quàm maximè notari cupimus: Καὶ μὴν ἔσω δεῖ διὰ τοῦ δήμου συντελεῖσθαι τῶν πρὸς τὰς κοινὰς πράξεις ἀνηκόντων, τούτοις καθήκει φροντίζειν hoc est vertente Casaubonô: *præterea publicæ omnes actiones, quæ per populum fieri debent, ad curam horum pertinent.* H. J. Quanta igitur fuerit Consulum dignitas conjectandô assequi non fuerit difficile. Nostro Polybio ea tanta visa fuit, ut crediderit eum, qui hanc partem intuetur, meritò dicere posse μοναρχικὸν ἁπλῶς καὶ βασιλικὸν τὸ πολίτευμα, quæ ita interpretatur Casaubonus; *Rempublicam Romanam planè ab unius imperiô pendere & regiam esse.* Nullum igitur dubium, quin Consules in Republicâ Romanâ tenuerint primas, quandoquidem etiam lib. 3. de legibus apud Ciceronem eô ipsô locô, quô nostrum habetur axioma, *regium iis tribuitur imperium: regio imperio duo sunto, iique præeundô, judicando, consulendo prætores, judices, Consules appellantor.* At verò qui primus est in aliquâ societate, is *lege naturali tenetur invigilare, ut leges societatis observentur*, ut benè & prudenter judicat Elias Du Pin in dissert. histor. de antiquâ Eccles. discipl. dissert. 4. c. 2. §. 3. p. 335. si non in Ecclesiasticis, ut ipse quidem persvasus, in Politicis tamen istud effa-

effatum est verissimum, & primò illi cura salutis publicæ maximè competit. Sanè Paulus ICtus salutem Reipublicæ nulli magis convenire quàm Cæsari, benè animadvertit. Et hic est sensus hujus Politici axiomatis.

§. X. Quodsi hoc nostrum axioma etiam ad alias Respublicas trahendum est, utique quinam in cœteris Politiis populo Romano imperanti per analogiam respondeant perpendendum fuerit. Illicò autem innotescit in Regnô quidem Regem & Principem, in Aristocratiâ Aristocratores, tandem in Politiâ moratos cives populo Romano esse analogos. Nam quô locô in Republicâ Romanâ erat populus, eô locô in regnô est Rex & Princeps, in Aristocratiâ Aristocratores, in Politiâ morata multitudo, in his enim ordo & forma imperii consistit, nam τὸ κύϱιον penes Regem, Optimates &c. est, & illi ordinem & formam Reipublicæ constituunt ut olim τὸ κύϱιον erat penes populum; si verò hôc; in regnô quidem Salus Regis & Principis, in Aristocratiâ Optimatum, in Politiâ tandem totius civium ordinis salus suprema erit lex. Et sicuti salus populi Romani, ut in antecedentibus declaravimus, in ordinis statuti conservatione consistebat; ita etiam Regum, Principum, Optimatum salus in ordinis semel introducti custodiâ erit ponenda. Universaliter si quis efferre velit axioma ei dicendum, quòd *conservatio formæ Reipublicæ & eorum, penes quos est summa potestas, suprema sit lex in Republicâ:* quod tantò minus mirum est, quod cum conservatione status Reipublicæ conjuncta sit salus civium; verissimumq; est, quod scribit Montecatinus in lib. 3. Polit. Arist. text. 100. p. m. 226. *cum quibus statibus* (Rerumpublicarum) *eorumque conservatione etiam utilitas subjectarum civitatum, quamdiu ipsis subjectæ manent, est implicita, concidente sæpe numerô cum Republicâ quantumvis pravâ civitate & populô universô.* Non malè Hobbesius de Cive c. 10. p. 162. *Sunt Imperantis & subditorum eadem & com-*

rismô ſed aliunde deducendum eſt, is enim ſalutem publicam Principi unicè non ſubditis committit.

§. XIII. Ex diſputatis manifeſtum eſt, impiè ex canone noſtrô civibus juſtribui cum libertas ipſius culpâ periclitatur, Principem atrociſſimô ſuppliciô capitis puniendi. Ex quibus enim apicibus axiomatis noſtri explicati per legitimam conſequentiam illud jus erues? Ad hæc illud ipſum jus pugnat cum ſanâ ratione. Initiô enim ſana ratio apertè indicat, jus puniendi in Republicâ convenire Rectori: nam pœna eſt ultimum in coactione, coactio autem non competit niſi ſuperiori. Nec ſanè obſtat, quòd privatis interdùm tribui videatur; nam tùm non denotat jus primò aut per ſe alicui competens, ſed ſuperioris & legislatoris indultu, quomodo raptorem raptæ genitor, & proſcriptum homo quilibet interficit; aut non ſignificat ipſum puniendi actum, ſed poſtulationem pœnæ à Rectore infligendæ. Verùm ſubditos non eſſe partem ſuperiorem ipſum nomen loquitur. Non igitur illis competit actus exercendi pœnam. Deinde ſecundò certum eſt, quod eô ipsô in caſu, quô ſalus ſubditorum negligi ponitur, cives ſint pars offenſa; at punire non eſt actus competens parti offenſæ quà tali, nam aliàs omni parti offenſæ iſtud competeret & per conſequens tollerentur judicia publica. Quod ſi aliquando Principes læſi vindicent crimina, non tamen id faciunt quà læſi; nam ſi illud quà læſi facerent, jus illis non eſſet puniendi crimina, in quibus non ſunt læſi, vindicant igitur quà ſuperiores. Cùm verò ſuperior locus non conveniat ſubditis & adhæc ſint pars læſa, jus puniendi illis tribui nullô modô poterit. Tertiò ſi reſpiciamus ad finem pœnarum, ite-

iterùm deprehendimus, pœnas in Principibus locum non habere. Pœna omnis, ut benè Grotius in defensione fidei Catholicæ de Satisfactione Christi cap. 2. p. 45. *propositum habet bonum commune, ordinis nimirum conservationem & exemplum; ita quidem ut rationem expetibilis non habeat nisi ab hôc fine.* Enim verò, quando Princeps punitur & capitis suppliciô afficitur, ordo non conservatur, sed corrumpitur & destruitur. Quantum enim intelligi datur ex lib. Categor. c. 6. §. 14. ordinis generatim accepti natura cognoscitur sita esse in relatione seu habitudine prioris & posterioris. Idem colliges ex ejusdem libri c. 12. §. 4. Præprimis luculentus locus est lib. 2. Post. Analyt. cap. 13. §. 16. ad ordinem enim requirit, ut *hoc primum, illud verò secundum sit.* Jam in Republicâ primum obtinet locum Princeps, inferioris verò caveæ sunt cives & Principe posteriores. Cùm verò cives pœnæ subjiciunt Principem, ordo iste prorsùs pervertitur, nam tùm Princeps detruditur in inferiorem locum, subditi primas tenent, pœnas enim sumere est superioris, ut antea ostendimus. Meritò ergò diximus, quòd si finis pœnarum spectetur, ut jure spectandus est, Principem à pœnis omnibus esse debere immunem. Tandem non qui pœnas sumpsêre, sed qui injurias à superioribus illatas patienter tulerunt, laudari legimus, manifesto iterùm documento, esse quasi notitionem à naturâ hominibus communicatam, Principes ad pœnam vocandos non esse. Præclarum sanè, quibus datum imitari laude dignum Lysimachi factum, qui Callisthenis Alexandro non culpæ sed libertatis pœnas pendentis misertus venenum ei in remedium calamitatum dederat & propterea

Alex-

Alexandri iram in se adeò provocarat, ut eum *objici ferocissimo leoni* juberet. Hanc sententiam cùm exequerentur, Lysimachus *manum amiculô involutam in os leonis immersit, arreptaque linguâ feram exanimavit; quod cùm nunciatum Regi esset, admiratio in satisfactionem cessit — Lysimachus autem magnô animô Regis velut Parentis contumeliam tulit — omni ex animô hujus facti memoria exturbata*, apud Justinum lib. 15. c. 3. sect. 10. p. m. 412. & seq. Persæ quoque quicquid eis à Regibus muneris ac oneris imponebatur, id lætô atque alacri animô impigrè ac sine ullâ detrectatione suscipiebant, fidem faciente Strabone lib. 15. Geograph. Quin etiam, ut ex Nicolaò Stobæus tradit, qui verberibus flagrisve Regis jussu cædebatur, gratias ei agebat, præclarè secum agi existimans, quod Rex eum in memoriâ habere se hôc factô testatus esset. Et ita beneficii locô injuriam habebant Persæ. Meritissimè verò Christianam patientiam professi etiam durius habiti à Rerumpublicarum Rectoribus manus ab infligendis Principi pœnis temperant acquiescentes definitione Spiritus S. 1. Sam. 26. v. 9. *Quis immissâ manu suâ in Unctum Dei insons esset?* Ex quibus verbis pulchrum elicit Calvinus consectarium: *Privato non licet Regem suum occidere*, magis placiturus, si adhuc adjecisset, neque ullâ pœnâ corporali in eum animadvertere. Quod eo usq; extendimus, ut, cùm etiam innocentem invadit Princeps, & innocens non aliter quàm cum cæde Principis vitam servare possit, *Principem imaginem illam Dei.* Conf. Synes. de Regnô p. 8. sacram & sanctam illi esse velimus, quòd vita Principis longè utilior sit quam privati. Conf. Becmann. in lineis Moral. c. 9. §. XI. p. 157. Nec

titivilitiô emptitarim miseram ilam collectionem & nutantia inde deducta corollaria, quæ §. 2. audivimus confirmata malè intellectô nostrô axiomate, elumbis enim est consequentia; Si Princeps in imperiô civili constituitur propter salutem populi, populus Principe superior est; enervavit eam perquàm egregiè Grotius lib. 1. de de Jure belli & pacis c. 3. §. 8. num. 14. p. 57. his verbis: *Cæterum non nego in plerisque imperiis respici per se utilitatem eorum qui reguntur: & verum esse, quod Cicero post Herodotum, Herodotus post Hesiodum dixit, fruendæ justitiæ causâ Reges constitutos. Sed non ideò consequens est, quod illi inferunt, populos Rege esse superiores, nam & tutela pupilli causâ reperta est, & tamen tutela jus est ac potestas in pupillum. Nec est quod instet aliquis, si malè rem pupillarem administret, amoveri posse, quare & in Rege idem jus esse debere. Nam in tutore hoc procedit, qui superiorem habet, at in imperiis, quia progressus in infinitum non datur, omninò in aliquâ aut personâ aut cœtu consistendum est, quorum peccata, quia superiorem se judicem non habent, Deus sibi curæ peculiari esse testatur, qui ea aut vindicat, si ita opus judicet, aut tolerat in pœnam aut explorationem populi.*

§. XIV. Quibus verò argumentis Romani Pontificis immensam potestatem, quam Le Blanck in thes. de Reunione. d. ult. p. m. 820. meritò *conscientiis timendam* rectiùs horribilem dixisset, curiæ Romanæ extorquebis? Suam in eâ masculè retundendâ diligentiam multi exercuerunt, & nos in aliis, quas meditamur, exercitationibus, ordine qualicunque digestas rationes ex Auctoribus plus minùs ducentis & aliis quorum copiam nobis horis subcisivis fieri optamus, aliquandò B. L. judicio, auxiliante

Spiri-

Spiritûs S. gratiâ exponemus. Modò breviſſimis nos expediemus, utpote quibus hâc vice ſatis eſt demonſtrare, nec pios Clericos, nec Deo devotos laicos unquàm in Eccleſiâ Chriſti tàm horrendam approbaſſe ſententiam. Pia Antiquitas memor divinorum oraculorum non Pontifici ſed ſoli Deo tribuit poteſtatem dandi atque transferendi imperia & regna. Audiamus tanquàm teſtem hujus veritatis S. Auguſtinum in libris, quibus Civitatem Dei id eſt Eccleſiam defendit ejusque mentem explicat: Is verò lib. 4. de Civit. Dei c. 33. *Deus ille felicitatis autor, quia ſolus verus Deus eſt, ipſe dat regna terrena & bonis & malis.* Et lib. 5. c. 21. *Non tribuamus dandi regni atque imperii poteſtatem NISI VERO DEO.* Cui jungimus Gregorium M. lib. 2. Epiſt 61. *Poteſtas ſuper omnes homines Dominorum meorum pietati cœlitus data eſt.* Nullus ex teſtibus illis ſangvine propter confeſſionem cœleſtis veritatis totô corpore madidis Pontifici tantam tribuit poteſtatem. Verùm audiamus quoſnam ſuæ potentiæ limites defigat Greg. II. ad Leonem Iſaurum epiſt. poſteriori. *Pontifex*, inquit, *nec introſpiciendi in palatium nec Regias dignitates transferendi poteſtatem habet.* Optimè. Hujus teſtimoniô ſtamus; ſint verò mendaces ſcriptores his diſſonantia ſcribentes, totis explodendi theatris. Patet verò facilè peſſimam eſſe Philoſophiam, quâ Poteſtas Politica ſubjicitur Eccleſiaſticæ & ab eâ dependere docetur; quomodo enim viri poteſtate politicâ inſtructi agnoſcent Clericos ſuperiores, cùm judiciô puræ antiquitatis in ſolius Dei poteſtate ſint, à quô ſunt *Secundi, poſt quem primi*, ut loquitur Tertullianus in Apologeticô. Benè Optatus lib. 3. *ſuper Imperatorem* (eôdem modò etiam Reges, Prin-

cipes quorum actus à nullô reddi possunt irriti) *non est nisi solus Deus, qui fecit Imperatorem.* Majestates sanè omnes cum Gregor. Nazianz. orat. alt. *de se ipsô* licet alloqui: *Orbis hic universus sub manu vestrâ est.* Ambrosius Oratione de Obitu Theodosii, *cùm haberet Imperator supra omnes potestatem.* Eat nunc Westonus Anglus, perficet frontem & impudenter asserat, Ecclesiam retinere jus superioris dominii in jura Principum. Quodsi verò supra omnes habeant potestatem, quod si orbis universus in eorum manu est, quod si post Deum primi, quis eos hominum pœnæ temporali subjiciet? Deo soli peccant, ejusque pœnis subsunt, quod frequenter veteres inculcant, explicantes illa Davidis verba, *Tibi soli peccavi.* Conf. Auctor Comment. qui sub Arnobii nomine in hunc Psalmum circumfertur, Ambrosius in Apol. David. c. 4. Cassiodorus, *Tibi*, inquit, *soli peccavi, quia Rex omnibus superior est & à Deô solô puniendus.* Maneant ergò inconcussa Ambrosii verba in cit. lib. c. 10. *Liberi sunt Reges à vinculis delictorum, neque enim ullis legibus ad pœnam vocantur, tuti imperii potestate.* Quod si verò à nemine puniri possunt, neque regnô privari poterunt, quia hæc pœna est maxima & mortis supplicio, nisi major, certè æqualis; si verò regnô exuendi non sunt, subditi ab obedientiæ vinculô & fidelitatis juramento absolvendi non sunt, eô enim ipsô regnô privantur Reges, nam subditis spoliantur, quorum respectu Reges dicuntur. Quodsi verò Principes, potestate suâ abutantur (non dixero iniquè agant, præclarè enim Cyrill. Alexandr. lib. 12. in Johann. c. 56. prudenter *dictum est, impium esse, qui Regi dixerit, iniquè agis*) aut Dei verbo contraria præcipiant, iis

nequa-

nequaquàm parendum. Nam ſicut in naturalibus cauſæ inferiores in agendô à ſuperioribus dependentes contra ſuperiorum efficaciam vim agendi non habent; ita neque Principes tanquàm cauſæ inferiores morales contra Deum. Is igitur imperii actus, quô ſubditus ad ea quæ Dei verbo contraria ſunt, incitatur, effectu & obligatione carebit; quod ſi vim eô nomine intentet Majeſtas, quod impiis juſſis ſubditus reluctetur, abſit, ut propterea inferior vim paret adverſus ſuperiorem; defenſio enim violenta cum adverſus parem ſit licita, adverſus ſuperiorem iniqua & illicita à prudentibus judicatur, utpote quâ pars toti ſeſe opponit. *Militem ſanè, qui centurioni ſe caſtigare volenti reſtiterit, veteres notaverunt. Si vitem tenuit, militiam mutat. Si ex induſtriâ fregit vel manum centurioni intulerit, capite punitur*, ut Juris conſultus Macer habet. Quomodo verò in his adverſis pii ſe gerere debeant, non ex turbulentô Svarez, Marianâ, aliisque Reipublicæ perdendæ natis, quorum mentem dextrè ſatis explicatam leges à Virô cordatô, qui Jeſuitarum myſteria nobiſcum communicavit, quem vide à p. 168. & ſeqq. ſed è ſcripturis & exemplô veterum Chriſtianorum petendum, de quarum civitate Auguſtinus lib. 22. de Civit. Dei: *Neque tunc ſub Imperatoribus Ethnicis civitas Chriſti, quamvis peregrinaretur in terris & haberet tàm magnorum agmina populorum, adverſus impios perſecutores pro ſalute temporali pugnavit, ſed potius ut obtineret æternam, non repugnavit. Ligabantur, cædebantur, includebantur, torquebantur, urebantur, laniabantur, trucidabantur & multiplicabantur. Non erat eis pro ſalute pugnare, niſi ſalutem pro ſalute contemnere.* Brevibus, ii noſtrâ ſententiâ tàm triſti caſu, ſe

verè

verè Christianos id est homines patientiam juxta Christi monitum professos probabunt, qui, cùm *tàm nefanda perpetiantur, ne verbô quidem reluctantur, sed ultionem remittunt*, quod in veteribus prædicat lacteæ eloquentiæ Pater Lactantius. Quoniam autem Ægidius tantam Pontificis auctoritatem Ecclesiæ apprime judicabat expedientem, ejus deliria retundat Johannes Davenantius in determinat. quæst. 30. sub fin. p. m. 140. *Sed inutilis insuper, imò noxia esset talis potestas in Pastore spirituali, qualem Pontificem Romanum esse perhibent. Inutilis siquidem atq; inanis est illa potentia, cui media non conceduntur, quibus exeat in actum. Christus autem hisce Pontificibus Romanis nullos satellites, nullos exercitus subjicit, quibus solis (nisi ad miracula confugiamus) Reges ab Imperio deturbari possint. Quin etiam noxia Ecclesiæ esset talis potestas; Regum enim animos ab Ecclesiâ & religione Christiana magis alienos faceret, cum intelligerent se hôc ipsô pejore jure regnare, si Christiani sint.*

S. D. G.

Verzug, es sey ein weltlicher oder
... der
... ng
... re=
... do=
... ß,
... ne
... f=
... ft
... n=
... g
der Steuer mit der erforderli=
chen Ordnung zu betreiben; so wird
hierdurch anbefohlen, daß ein jeder
Steuerpflichtiger, die Quittung über
die zuletzt bezahlte Rate, einer jeden
Gat=

kucyą Woyskową przynaglony będźie, przytym przyłącza śie ieszcze, iż gdy iakie Szlachetne Miasto lub Gromada z Podatkiem w delaćie zostanie Dwor za to do odpowiedźi poćiągany będźie.

Ażeby iednak Zaspokoienie Podatku z potrzebnym Porządkiem czyniło śię więc zaleca śię ninieyszem, ażeby każdy do Podatku obowiązany, kwit na zapłaconą ostatnią Ratę wszelakie-
go

Verzug, es sey ein weltlicher oder geistlicher Besitzer, eine S
eine Dorf-Gemeine, zu
der Steuer durch militair
cution wird angehalten we
bey noch hinzugefügt w
wenn eine adeliche Stadt
Dorf-Gemeine mit der S
ständig bleibt, die Grund
dieserhalb wird in Anspru
men werden.

kucyą Woyskową przynaglony
sie
ne
em
do

Um jedoch diese S
der Steuer mit der erforderlichen Ordnung zu betreiben; so wird hierdurch anbefohlen, daß ein jeder Steuerpflichtiger, die Quittung über die zuletzt bezahlte Rate, einer jeden Gat-

nie
Podatku z potrzebnym Porządkiem czyniło się więc zaleca się ninieyszem, ażeby każdy do Podatku obowiązany, kwit na zapłaconą ostatnią Ratę wszelakiego

dern daß selbige für ohnvermeidliche Folgen des Krieges gehalten werden müssen.

Da Seine Königliche Majestät sich hierin so gnädig bewiesen haben; so haben Allerhöchstdieselben andererseits auch das gewisse Zutrauen, daß dagegen die September = Rate des ganzen und halben Rauchfanggeldes, so wie die übrigen in dem Eingang dieses Publicandi benannten gewöhnlichen Landes = Abgaben, je nachdem ein jeder zu dieser oder jener Gattung derselben verpflichtet ist, auf das pünktlichste und promteste werden abgeführt werden.

Zum Ort der Ablieferung wird hierdurch das in der Stadt Pilica errich-

trzymane być musi.

Kiedy JK. Mść., w tym tak łaskawie się okazała; więc też ma te wielkie zaufanie, iż przeciwnie Rata Septembrowa całego i puł Podymnego, iako też inne wyż wyszczegulnione zwyczayne Podatki Kraiowe, im ktorzy do tego lub innego gatunku Podatkow obowiązany iest, iak naypunktualniey oddane i wypłacone będą.

Mieysce do złożenia ich, naznacza się w Exakcyi Pilickiey, i usta-